



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio
fidei & doctrinæ Electorum, Principvm Et Ordinvm Imperii,
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam
Confessionem amplectuntur**

Lipsiæ, 1606

I. De peccato.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35443

TER TIA PARS

ARTICVLORVM.

De sequentibus articulis agere poterimus cum doctis, & prudentibus Viris, vel etiam inter nos ipsos. Papa & regnum Pontificium illos non magnopere curant. Conscientia enim apud eos nihil est, sed pecunia, gloria, honores, potentia, ipsis sunt omnia.

I. De peccato.

HIC confitendum nobis est, vt Paulus Rom. 5. affirmat, peccatum ab vno homine Adamo ortum esse & introisse in mundum, per cuius inobedientiam omnes homines facti sunt peccatores, morti & diabolo obnoxij. Hoc nominatur originale, hæreditarium, principale, & capitale peccatum.

Huius peccati fructus postea sunt mala opera in decalogo prohibita, vt sunt diffidentia, incredulitas, falsa fides siue *agnoſiſia*, idolatria, sine Dei timore esse, præsumptio seu temeritas, desperatio, cæcitas seu excecatio, & vt summatim dicam, Deum non agnoscere, non curare: Deinde, mentiti, nomine Dei abuti, peierare, non orare, non inuocare, verbum Dei contemnere vel negligere, parentibus immorigerum esse, occidere, lasciuire, furari, decipere, &c.

Hoc peccatum hæreditarium tam profunda & tetra est corruptio naturæ, vt nullius hominis ratione intelligi possit, sed ex scripturæ patefactione agnosceda & credenda sit, Plal. 51. Rom. 5. Exod. 33. Gen. 3. Quapropter meri sunt errores, & caligines contra hunc articulum, scholasticorum doctorum dogmata, quibus docetur:

Post Adæ lapsum, hominis naturales vires man-
integras, & incorruptas, & Hominem naturaliter habere
rationem rectam, & bonam voluntatem, sicut philo-
sophi docent.

N Et: Hominem habere liberum arbitrium facien-
bonum, & omittendi malum, & econtra, omittendi
bonum, & faciendi malum.

Item, Hominem posse naturalibus viribus omnia
mandata Dei seruare & facere.

Et: Posse naturalibus viribus Deum super omnia
diligere, & proximum, sicut seipsum.

Item, Si faciat homo, quantum in se est, Deum la-
giri ei certo suam gratiam.

Et: Si accedere velit homo ad Eucharistiam, non
opus esse bono proposito rectè faciendi, sed suffice-
re, si non adsit malum propositum peccandi: tantum
bonam scilicet esse naturam, & tantam esse viam sacra-
menti.

Item, Non posse ex scriptura probari, ad bonum
opus necessario requiri Spiritum sanctum & eius gra-
tiam.

Talia & similia portenta, orta sunt ex inscitia, &
ignorantia peccati, & Christi seruatoris nostri: sunt
verè & merè ethnica dogmata, quæ tolerare non po-
sumus. Si enim ista approbantur, Christus frustra mor-
tuus est, cum nullum peccatum & damnum sit in ho-
mine, pro quo mori eum oportuerit: aut solummodo
pro corpore mortuus diceretur, non pro anima, quæ
doquidem anima prorsus sana, & solum corpus ma-
obnoxium perhiberetur.

II. De Lege.

Sentimus, Legem à Deo datam esse, primum, ut pe-
ccatum prohiberetur comminationibus, & me-